

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0419

0417

0423

0413

0428

0408

0468

0368

0518

0318

0918

Ende

Anfang

405

Recessus peregrinorum a Gaza contra desertum magnum ad montem Synai.

Nona die Septembbris mane venerunt camelarii cum Trutschelmanno et omnem supellectilem nostram eportaverunt in medium curiae ponderantes similia et librantes, ut scirent, quot camelii nobis essent necessarii et invenerunt tantum pondus, quod XXII camelii non sufficerent portare, nec volebant nos ducere, nisi adhuc tres camelos (27a) disponeremus. Ex hoc autem ortum est magnum litigium inter nos et Trutschelmannum. Nos volebamus, quod ipse expensis suis residuos camelos disponeret, prout in V. articulo conventionis nostrae expressum erat, ut habetur P. 1. fol. 219. Ipse vero noluit hoc facere dicens, multam supellectilem inutilem (nos) habere, qua rejecta, si defectus esset camelorum, ipse teneretur supplere, alias non. Reputabat enim quasdam res superflua, quae nobis erant valde necessariae. Antequam autem illas res vellemus abdicere, conduximus expensis nostris adhuc tres camelos. Sic ergo habuimus XXV camelos, XXX asinos, VII camelarios et VI asinarios, duos capitaneos ductores Arabes et duos Sarracenos, Calinum parvum Elphallum cum juvene Aethiopē, et erat summa hominum nostri exercitus XL personae. His itaque compositis affuit hora comedionis. Comedimus ergo et bibimus in laetitia, pro eo, quod tempus recessus nostri advenerat. Eimus autem in fine malogranata, dulcia vel amara, ad placitum, prout unusquisque volebat, ut per viam deserti sugeremus. Erant autem ista poma in optimo foro, nam pro uno madino poterat unus habere XL aut L malogranata magna et recentissima. Transacta itaque meridie venit Trutschelmannus in equo sedens et asinarii cum asinis. Quamvis autem asinarii essent Christiani, tamen ad modum Arabum capita sua mitraverant, ut minus per desertum infestarentur ab Arabibus. Adduxerunt etiam camelarii camelos eosque rebus nostris oneraverunt duas tamen sportas vacuas dimiserant, ad quas posuimus duos milites peregrinos debiles. Cum autem camelii jam onerati essent, jussu Trutschelmanni accinxerunt se milites peregrini gladiis et aliqui emerant arcus et tela ad modum Sarracenorum

